

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0307

0305

0311

0301

0316

0296

0356

0256

0406

0206

0806

Ende

Anfang

294

Eodem anno illustrissimus imperator Romanorum, Fridericus primus, crucem cum suis principibus et nobilibus de Alemannia assumxit, et rex Francorum Philippus et Heinrichus rex Anglorum et caeteri reges omnes, archiepiscopi et episcopi et praelati ecclesiae Dei cum infinitis populis cruce signati sunt. Et erat illa commotio adeo universalis, ut totus mundus in hoc propositum coisse videretur. Fit ergo mirabilis congregatio equitum et peditum et per terram et maria impetu ferventissimo vehuntur contra infideles. Eo autem tempore erat in Calabria abbas Joachim, maximae doctrinae et excellentis ingenii vir: hunc accersitum reges et principes in terrae sanctae expeditione existentes interrogabant de effectu illius profecionis. Quibus ille dixit, quod mare quidem transirent, sed in recuperatione terrae sanctae parum proficerent, et nondum adesse tempus, quo Jerusalem a Christianis possideri posset. Et sicut insignis vir ille dixit, ita accidit. Ingressi enim Syriam, nihil ceperunt nisi Ptolemaidem, quae Acon dicitur, toto biennio. Capta est autem Acon anno Domini 1194. non ruptione murorum, sed sub his conditionibus, ut salvis personis Sarraceni exirent, et lignum crucis, quod in bello ceperat Saladinus, sicut supra folio 280. patet, Christianis restituere promitteret et ducenta millia ducatorum solverent. Sed quia pacta regibus promissa de sancta cruce restituenda et de captivis Christianis reddendis non observavit Saladinus, rex Richardus una die quinque millia decollari mandavit.

His diebus decesserunt dueae filiae regis Guidonis, quas ex Sibylla, primogenita Almarici regis suscepserat, et post modicum mater ista, domina Sibylla, etiam decessit (**B**) ex hac vita, nec superfuit aliquis de vera stirpe regia regum Jerusalem, nisi domina Elizabeth, uxor Eufredi de Coronio. Habuit enim Almaricus sextus rex Jerusalem unum filium Balduinum, ab infantia leprosum, et duas filias, Sibyllam et Elizabetham. Mortuo autem Almarico regnauit leprosus, qui quia generare non potuit, haerede ex se caruit et fecit Sibyllam seniorem sororem suam haeredem regni, cuius maritus, secundus Guido pro ea regnauit, Elizabeth autem ejus soror domino Eufredo nupsit. Post perditam autem terram sanctam

